In N. J. Chr.

De
Studio Theologico,
Deo Hominibusque Infesto,

Disputationem Christianam
Consent. Max. Vener. Ord. Theol. Lundens.
Proponunt

PRÆSES
LAURENTIUS P. WÅHLIN,
Philos. Mag., S. S. Theol. Doct., Pastor & Præp. Eccl. Norrwiddinge & Dagstorp,
Membr. Societ. Evangel., Societ. Biblicæ Holm. et Societ. Biblicæ Lundensis,

&

Respondens
Pro exercitio
PETRUS S. WÅHLIN,
Scanus,

In Acad. Carolina die XVII Decembris MDCCCXXXI.

Londini Gothorum, MDCCCXXXI,
Ex officina Berlingiana.

Protectoribus,

Fautoribus,

Cultoribus

Studii Theologici vere Christiani,

Fausta quævis, grata & felicia!

Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐςι. Καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει.

Ἰησοῦς.

Pars I:ma.

§. I.

Coelesti doctrina, quæ *Jesum Christum*, filium Dei, offert et profitetur Servatorem mundi, nulla mihi esse videtur neque ad gloriam Dei accomodatior, neque ad salutem hominis efficacior. Hac enim interprete Deus nos vocat ad libertatem æternam, per hanc defert novam legem spiritualem et Evangelicam, per hanc alteram hominis creationem perficit, per Hanc promittit et confert remissionem omnium peccatorum, per hanc denique hominem idoneum reddit ad omnia amoris divini pignora et bona accipienda et retinenda. Hanc ipsam Doctrinam Deus vult omnes audire, omnesque fide amplecti 1). Quicumque crediderit, salvus erit, quicumque recuset credere, ejectus e consortio et nomine gratiæ, perit sine spe recuperationis 2). Extra Jesum enim nullum est salutis neque fundamentum, neque ordo, neque ratio aut scientia 3). Lumine, quod accendit Evangelium, exstincto vel infuscato, potestate divina, quæ apta et parata verbo evangelico inest, ad omnes animi vires et affectiones conformandas purificandasque, suspensa, prohibita aut neglecta, nihil valet homo in spiritualibus, nihil in iis, quæ vitam respiciunt futuram 4). In ceteris quidquid poterit, id specie nitescere, id re prodesse potest, animum vero Deo propinquum referre non potest 5). Et hæc ratio. Homo, natura infirmus et pravus, ope Dei ad omnia eget, et ad intelligenda, quæ sint vera et ad facienda, quæ sint recta 6). Igitur Deus, misericors et sapiens, necessariis virtutis et intelligentiæ præsidiis non voluit hominem esse

1) Math. 28: 19. Marc. 16: 16.
2) Math. 12: 32.
3) Act. Apostol. 4: 12.
4) Joh. 15: 5.
5) Math. 7: 26.
6) Rom. 7: 18. Ps. 51: 7. Eccl. 7: 21.

prorsus destitutum. Igitur singulis fere temporibus, ut orirentur Homines, curavit Deus, magnis ingenii et animi dotibus præditi, qui aliis scientia et virtute prælucerent, et ea, quæ ex ratione licet de Deo cognoscere, indagarent et patefacerent 7). Inde Theologiæ, quam dicunt Naturalem, primordia, inde præstantissimæ hujus scientiæ per sæcula continuata investigatio, et ad nostra tempora a sanctis viris sancte habita cura 8). Sed ut essent homini in aprico, quibus ad restaurandam amissam cum Deo conjunctionem niteretur, cujus rei natura ignara est, lumen spirituale Deus misit, primum per Pro-

---

7) Omnes fere gentes suos habuerunt prudentiæ ministros et præbitores, qui, aliter alio tempore vocati, studiis ad altiora ferentibus fuerunt dediti. Hac de re legere refert auctores, qui documenta scientiæ humanæ ab antiquissimis retro temporibus persecuti sunt. Fontes hujus studii sunt præter libros *Aristotelis*, *Ciceronis*, *Plutarchi*, *Sexti*, *Suidæ*, *Diog. Laërt. Patrum eccles.* et recentiorum *Platonicorum*, ejusmodi reliquiæ antiquitatis, quales fragmenta *Sanchoniatonis*, *Zend-avesta*, *Vedam*, *Libri Confucii*, *Edda*. Ex his, et aliis, præsertim Græcis et Romanis scriptis, hausta sunt, quæ leguntur apud recentiores, ex. gr. apud *Jonsium* in libro de scriptoribus Historiæ philosophicæ, apud *Stanley* in libro ab Oleario ex anglico in Latinum sermonem verso de Historia philosophiæ, in notis Menagii ad *Diogenem Laërtium*, apud *Bayle* in Lexico historico et critico, apud *Fabricium*, *Cudworthium*, *Brucherum*, *Des Landes*, *Batteux*, et alios, quorum numerus vix iniri potest. Ex iis, qui historiam religionum scripserunt, numero haud paucioribus, et ex quibus videre licet, semper exstitisse Duces et Primores humani generis, qui ceteris colendo numine Divinitatis anteire conati sunt, non ignoro præcipuos, etsi culpam ejus ignorantiæ mihi injuste intentatam invenio. Quomodo, quæso, ignota mihi essent, quæ scripserunt *Jovet*, *Picard*, *Broughton*, *Meiners*, et alii, eo consilio, ut, quomodo res sacræ habitæ sint per universum orbem, esset in promtu? Historia Religionis cohæret cum historia Philosophiæ præsertim in vetustis temporibus. Quam vellem, rem ita se habere etiam nostris his diebus, ut iidem essent religione principes, qui Philosophiæ Doctores. Hæc creditur esse unica lex eruditionis, nec injuria. Audiamus Philosophum, summi pro suo tempore arbitrii: "Den lärde måste i moraliskt afseende vara den bästa menniska i sitt tidehvarf; han bör i sin person kunna uppvisa den högsta grad af moralisk odling, som funnits till i hans tid". *J. G. Fichte*, *de Lärdas Bestämmelse.* Upsala 1796; p. 91.

8) Auctores, qui Theologiam naturalem tractarunt, enumerantur, quoad plurimam partem, in *Schmidii*, Apparat. Theol. Natural.; *Struwii*, Biblioth. Philosoph.; *Reimmanni*, Historia Theologiæ Judaic.; *Dorni*, Biblioth. Theologiæ, et *J. Aug. Nösselt*, Anweisung zur Kenntniss der besten, allgemeinern Bücher, in allen Theilen der Theologie, Leipzig 1800, §§. 182, 183, et in Literatur der Theologie von *Chr. Fr. L. Simon*, Leipzig 1813, §. 135. In hac tanta copia scriptorum ego quidem potiore loco habeo: Betrachtung über die Natur von *Karl Bonnet*; Leipzig 1783. *Herm. Sam. Reimarus* von den vornehmsten Wahrheiten der Naturlichen Religion; Hamburg 1781. *Moses Mendelssohn* Morgenstunden; Berlin 1785. *G. Chr. Müller* Entwurf einer Philos. Religionslehre; Halle 1797. De iis vero, quæ scripserunt *F. W. J. Schelling* in libro, Philosophie und Religion; *J. G. Fichte* in Anweisung zum seligen Leben, Berlin 1806, *De Wette*, *Sintenis*, *J. Paul*, *Schulze* et plurimi, postea quid sentiam dicendum.

phetas, qui vaticinati sunt de Christo, deinde per Christum, qui vaticinia explevit, postremo per Apostolos, qui eum in finem, ut doctrinam Christi proponerent, baptizati sunt non tantum aqua, sed novo spiritu, copioso, cœlesti, igneo. De Sion exiit Lex et verbum Domini de Hierosolyma 9). Sic expediebat humani generis saluti, sic Deus ab æterno statuerat, sic per universum orbem pervagata est, sic ad nostram quoque borealem oram pervenit salutifera vox: *Ecce, agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* 10). Quocumque processit lux Evangelii, si licitum fuerit huic luci vivificanti vim suam exserere, ibi novus ortus est rerum ordo, ibi firmitas accessit imperio, diuturnitas paci, robur virtutibus, ibi res publicæ et privatæ divino velut spiritu adflatæ sunt 11). His locis, si uspiam, visa est vera libertas, ibi inter artes siluerunt arma, ibi securitas absque vigiliis, justitia sine judice, et sanctimonia fuit pro legibus 12). Nec caruit Patria his bonis. Innumeri enim sunt, qui satiati sunt, quia esuriendo et sitiendo expeterent justitiam Dei 13). Deo igitur, ut fas fuit, solennes gratiæ anno præterlapso actæ sunt, ob misericordiam, per mille annos huic Svecanæ mundi parti per Christum ejusque Evangelium, præbitam. Hæc sacra etiam ego, et qui me in colendo Deo sequuntur, peregimus pio studio, pro sua quisque facultate precantes et Deo benedicentes. Cujus vero festivitatis ab omni pompa externa remotæ cum nullum in publico testimonium editum sit, convenire putavi, hoc qualecunque specimen amoris, quo rei Christi addictus sum, litteris fore mandatum. Intelligent me, mihique veniam dabunt, qui vim verbi 14) capiunt, nec, ut spero, gravabuntur, hoc, quod scio quam sit exiguum, meum opusculum iis adnumerare, quæ quantum, et quamdiu Deus concesserit, testimonio erunt, Ecclesiam Christi fuisse hoc tempore curæ Suecis. Non enim ego is sum, *quem pudeat Christi Evangelii* 15). *Imo vero etiam existimo omnia damnum esse propter supereminentiam cognitionis Christi Jesu, Domini mei* 16).

---

9) Joh. 1: 17. Lex per Mosen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

10) Joh. 1: 28.

11) Inter plurima alia hujus rei documenta, quibus abundat historia generis humani, vide quæ leguntur apud *G. H. Loskiel* Historisk Beskrifning öfver Evangeliska Brödernas Missions-arbete, Stockholm 1792, quibus exemplis addi possunt, quæ de progressibus Evangelii narrantur in actis Religionis diurnis, editis omnibus fere Europæ linguis, quorum mihi hac in solitudine degenti in manibus sunt Hom. Liturg. Correspondenz-Blatt von *Chr. Ph. Brandt*, Nürnberg. Danskt Religions-Blad ved *Rönnow* Köbenhavn, Evangelii Framgång Stockholm. Quid religioni Evangelicæ debeatur, eleganter expressit *G. de Felice*, Försök öfver Bibelsällskaps-inrättningens anda och ändamål; Stockholm 1825.

12) Quæ in votis erat Imperatori *Pertinaci*, ea felicitas sequitur vere Christianos: "Si umquam eveniat salutare reipulicæ, brevi milites necessarios non fore". *Vopiscus* in Probo, §. 20.

13) Math. 5: 6. 14) 2 Cor. 5: 14. 15) Rom. 1: 16. 16) Philipp. 3: 8

Nam a primo inde tempore, quo sacris Christi initiatus sum, oportere me credidi, indefessam in eo collocare operam, ut integra esset confessio Ecclesiæ, animo et factis pari fide exprimenda. Maximæ esse perfidiæ semper duxi, Doctrinam, cui sacramentum diximus, deserere, et spem Ecclesiæ, cujus tutelam suscepimus, fraudare. Nec committet umquam tale perjurium, nisi qui a vi verbi et amore Christi alienus est et abhorret. Igitur nihil mihi prius fuit quam *cognoscere Ipsum, et virtutem resurrectionis Ipsius, et communicationem passionum Ipsius, ita ut conformis essem morti ipsius* 17). Nihil mihi gratius fuisset, quam studia academica et ecclesiastica simul conjungere. Sed non eadem fuit fortuna, quæ in labores Academicos inclinata voluntas. De via, mihi a juventute proposita, secedere jussit vitæ domesticæ necessitas. Sed insedit animo altius litterarum, quæ me cepit, cupido, quam ut ulla rerum aut temporum vicissitudo posset me ab instituto avertere. Sed ut qui in acie decernunt, si fortes sint, ne fuga quidem a pugnando absistant, ita et ego, ab academia discedens, disputavi contra *Kantium*, principem tum temporis philosophorum, qui Theologiam tam Naturalem quam Revelatam infestabant. Parva fuerunt, qui non faterer? incepta. Sed favor adstitit, non is, qui socordiam alit, sed ille, qui ad majora accendit. Notum erat iis, quorum juris fuit de me judicare, nisi paupertas, et mutata vitæ conditio offecissent, me nihil eorum, quæ inceperam, prætermisisse. Victa interea est philosophia *Kantiana*, ut et plura alia philosophandi genera per triginta hos annos perculsa sunt: neque aliter fieri potuit, *nam omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur* 18). Novos hostes vidi nova consilia inire abrogandi sapientiam Dei. Quo propius accessit periculum, eo magis lætatus sum his electis Domini, qui non dubitarent cum eversoribus fidei congredi. Dignos profecto eos habeo, crucis insignia qui gestent, cum e contrario notam indignitatis vix evitabunt, qui ingravescenti malo indormiunt. Quomodo enim nomina custodum ecclesiæ sustineant, qui tranquillo animo adspectant hostium irruptiones? Illi robur et æs triplex circa pectus erit, ut cum Poëta loquar, qui siccis oculis ista monstra videt, quibus studium Theologicum, hoc sacrarium publicæ et privatæ incolumitatis, nostris violatur temporibus 19). Ita enim judico, quod Cicero de officio dicit, quæ pars est subjecta studio Theologico, id valere de universo hoc studio: *Nulla vitæ pars neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare scientia Dei potest: in eaque colenda sita vitæ est honestas omnis et in negligenda*

---

17) Philipp. 3: 10. 18) Math. 15: 13.

19) Aspere dictum si cui videatur, sciat nos graviter offendi ejusmodi ineptiis, quarum dedit Philosophus *Oken*, Jenensis, exemplum, cum dixit: *"Gott ist das sich selbst sezen wollende Nichts".*

turpitudo. Agitur gloria Dei, temperantia imperii, observantia legum, agitur conventorum et pactorum fides, conditio hujus vitæ et spes futuræ. Quis pro incolumitate tot tantarumque rerum non ultima auderet? Quantum potero, numquam desistam periclitari. Jam vero videamus, quomodo ab impiis laceretur id, quod litteris, artibus, omnibusque rebus publicis et privatis sit habendum adminiculum quam maxime necessarium. Inde patebit, eo ventum esse, ut studia Theologica, quæ habuerunt Patres nostri argumentis probata, ab omni parte munita præsidiis et corroborata, antiquitate et divinitate pariter augusta, ea non liceat diutius, per ludibria contemnentium, per argutias disputantium, per tricas insidiantium, salva tenere et integra. Omnibus libertatem cogitandi scribendique largiuntur, vi manuque parant, et paratam adfirmant, nisi Deum ex verbo Dei profitentibus. Quæ signa temporis, quæ auguria rerum futurarum? Anne quiescendum, anne credendum hostibus, qui pacem et amica consilia dum simulant, nihil minus intendunt, quam ut omnia sui juris faciant. Eliminandæ sunt et palam faciendæ artes adversariorum, ne integumentis dissimulationis obvolutæ, nihil timentibus obrepant 20). Tanto vero proposito cum vires unius non sint pares, aliter quam cum David congredeeretur cum Goliath, opus adgredior, nulla omnimo mei, omni ejus fidentia, qui toties passus est, magnas copias superari a paucis, et victoriam inclinare eo, quo ex artibus humanis minime fuit exspectata 21). Non dubito fore plerosque, qui me temere sperare judicent. Sed malo in iis, quæ gloriam Dei, et salutem hominum spectant, accusari immoderatæ fiduciæ, quam silentii et soporis. Unus et solus ex iis, qui sacra ruri colunt, si verba facio, omnium tamen lingua et voce me loqui puto. Neminem enim esse eorum credo, qui Christo sese dediderunt ministros, qui studia Theologica, spiritu divino afflata non magni æstimet, neminem, qui eadem studia spiritu carnali contaminata non horreat.

§. II.

Hæc vero disputatio cum latius pateat, quam ut uno sermone comprehendi possit, in plures distribuatur necesse est. Certi sunt eligendi loci, e quibus inspiciamus, quæ positio sit contrariæ partis, quod consilium, quæ vires. Sic enim explicatis, quæ mixta jam pluribus in libris et diffusa per universum ambitum tumultuantium Theologorum reperiuntur, via erit parata, qua singula expedire ordine licebit.

---

20) Math. 10: 26, 27, 28.
21) Philipp. 4: 13.

I. Primum igitur considerandum videtur, quomodo a Philosophis vel Theologis disputatum fuerit et jam disputetur, ut corrigatur, quemadmodum ipsi credunt, rectius dixeris, luce sua privetur et caligine obducatur Theologia sic dicta Naturalis. Hoc loco occurrunt, infestissimo in nomen Dei et tranquillitatem hominis animo, Philosophi, qui a consilio, quod inierunt, castigandi omnia, *Critici* vocantur. Non quidem tempore fuerunt primi, sed nova quadem arte philosophandi principatum, inter obtrectatores Theologiæ Naturalis suo ævo, occuparunt. Defuisse neutiquam, quis ignorat, Naturalistas, Materialistas, Atheos, Pantheistas, Deistas, et quo nomine appellentur omnes, qui fundamenta Theologiæ Naturalis ante Kantium subvertere conarentur 22). Sed ut terminavi peractum antehac disputandi cursum concurrendo cum Kantio, ita cum jam iterabitur, a Kantio mihi ordiendum videtur, idque eo magis quod mihi objectum est, me *Kantium* immeritis incessisse criminibus. Qui non *Kantium* et *Kantianos* primo loco adgrederer, illos, qui aliquem quasi primatum tenent in culpando Apostolorum more Deum ductu rerum creatarum quærendi, omnem scientiam Theologicam a ratione practica petentes 23)? Hæc prima pars disputationis in eo versabitur, ut afferantur argumenta, quibus ante Kantium demonstrata fuit et pro vera habita exsistentia Dei et immortalitas animi. Quibus argumentis, etsi multum ex iis profectum sit venerationis in Deum, multum ad virtutem hortamenti, multum in miseriis solatii, multum ad mortem alacritatis, quam invisus fuerit Criticismus, ostendendum. Quæ cum omnia sunt allata, argumentum illud, tantopere jactatum, Morale, quo ut adminiculo fidei in Deum et in vitam immortalem usus est Kantius, in medio ponendum et examinandum. Quo in examine si auxilio usus fuero virorum doctorum, quorum sententiis nihil melius ipse præstare possum, id nisi qui æqui judicis temperamentum exuere velit, mihi nemo vitio vertet. Aliorum enim in rebus probandis auctoritas, cum valeat quotidie in vita communi, cur non item in studiis valeret? Sæpissime quidem accidere videmus, ut, qui maxima severitate ex aliis postulant proprios ingenii fructus, ipsi nihil scribant, nisi quod ab aliis sint mutuati. Sed optima ex ante cognitis eligere, si minor est virtus,

---

22) Briefe über Religion und christlichen Offenbarungsglauben von *H. A. Schott.* Jena 1826, p. 517.

23) Hostes Theologiæ Naturalis proprie sunt Athei et Sceptici. Ad utrumque genus Kantius pertinere videtur. Omnia enim argumenta, quibus exsistentia Dei demonstratur, cum non tantum in dubium vocet, sed et omnem eorum vim abroget et deneget, quid impedit, quominus dicatur non modo Scepticismi, sed et Atheismi reus esse. Quæ de Deo disputat incipiunt a dubiis, transcendunt ad vota, et postremo redeunt ad nihil. A piis quibusdam sententiis, quæ passim occurrunt in scriptis *Kantii* non est, quod ducamur in judicanda ejus philosophia. *Nösselt* l. c. p. 225. — Försök till en granskning af Kantiska Grunderna för odödlighet o. en Gud. Stockholm 1798. p. 89.

quam nova et inaudita excogitare, est tamen virtus, eaque multum anteponenda singulari eorum ingenio, qui mira et inusitata venantur, nullo adhibito judicio, sint ne æque utilia atque insolita. Pertinet quoque ad hanc primam operis hujus partem, ceteros provocare ex recentioris ævi sive Philosophis, sive Theologis, qui in iis, quæ de Theologia Naturali statuerunt, aliquid Deo hominibusque infesti admiserunt.

II. Altera pars hujus propositi eos spectat, cujuscumque nominis, professionis et disciplinæ, qui verbum Dei revelatum ita adgressi sunt, ut aut revelationem generatim consideratam pernegent, eam declarantes superfluam, noxiam, impossibilem, aut revelationem Christianam tamquam infantiæ generis humani gubernaculum solum habeant, a quo, velut tutamine, ut adoleverit gens humana et sui potens facta fuerit, se immunem reddet.

III. Tertio agmine cum iis congrediendum, qui integritatem scripturæ, quam nos sacram habemus, mutilatam cupiunt, auctoritate ejus, quoad certas partes, jam in dubium vocata, jam prorsus rejecta.

IV. Quarto monstrandum est, quam in Deum et homines hostiliter agant, qui sacras ita interpretantur litteras, ut, nulla cura habita eorum, quæ Deus patefacere voluit, sua sensa sacris litteris ingerant. Hoc loco interpretatio litteralis, historica et doctrinalis defendenda est contra eos, qui sensum allegoricum, moralem et mysticum præter necessitatem urgent.

V. Quinto loco eos hostes denominare et pro viribus refellere consilium est, qui, præ se ferentes studium in rebus sacris aliquid melius perfectiusque in medium proferendi, doctrinam Christi adeo corrumpunt, ut, imagine divinitatis penitus amissa, humana inventa et libita referat et ostentet. Hoc in numero quem locum mereantur Theologi multi hodierni, clari a plerisque habiti, ejusque auctoritatis, ut petræ Christi prævalere credantur, apertum erit.

VI. Sextam et ultimam subibunt notam ii, qui etsi non scriptis, ore tamen et plausu, commendatione variisque officii generibus hostes Religionis Christianæ adjuvant, protegunt et ad optatos provehunt exitus, quo fit, ut digni jure habeantur, qui hostibus Dei hominumque adnumerentur.

Hanc, quam mihi proposui, seriem disputationis si ad finem producere licebit, a quo proposito non nisi morbo vel morte depelli possum; magnas, quas Deo debebo, gratias persolvam, nec umquam obliturus, quid Studiosis hujus Lycæi, qui mihi in publicando et defendendo hoc opere fuerunt adjumento, acceptum feram.

§. III.

Philosophis et antiquioris et recentioris temporis curæ fuit, ut terminos cognitionis humanæ metirentur. Quæsitum igitur est, quid sit ultimum in scientia hominis, quæ sit idearum fons, ex quo oriuntur, et fundamentum, quo nituntur. Ita investigando, *Cartesius* in conscientiam cogitandi incidit, *Lockius* in ideas simplices, *Leibnizius* in ideas præstabilitas, *Hume* in imagines rerum sensibus perceptas, *Kantius* in Categorias vel formas, quarum ope mens hominis res sensibus obvias tractare, ideasque unitate et ordine conjungere dicitur. Hi igitur philosophi, comparatione facta, ita inter se discernuntur. Veritatem esse, quam objectivam vocant, *Leibnizius* ex eo demonstrat, quod ideæ innatæ sunt necessariæ et conveniunt rebus per se. *Lockius* idem veritatis genus ex eo deducit, quod ideæ simplices res, ut sunt, repræsentant. *Cartesius* hoc titulo veritatem rerum sustinet: *cogito ergo sum*. *Hume* omnem veritatem objectivam negat. *Kantius*, etsi conscius est rerum externarum, etsi de iis varie disserit utpote apparentibus, de iisque ope categoriarum judicat, confitetur tamen, se de rebus in se, vel de objectis, quoad ultima elementa, nihil scire. Audet etiam Kantius, disputare de rebus extra facultates sensuum positis, sed non synthetice h. e. convenienter experientiæ, sed analytice hoc est convenienter ideis nostris 24). Igitur quum de rebus, quæ sensibus non occurrunt, sermonem instituimus, probe cavendum suadet Kantius, ne aliquid certi statuamus. Nam cogitatione tantum judicanda sunt, quæ ejus sunt generis. Non igitur est quod pro certo credamus, aliquid extra cogitationem subesse his ideis, *rei per se, mundi ut universi, spirituum, Dei, libertatis, immortalitatis.* Arrogantiæ esset rationis Theoreticæ exemplum, tale quid ponere indubitatum. Hæc philosophandi ratio critica cum illius generis philosophiæ, quod dogmaticum vocant, occasum molitur, Theologiæ quoque Naturali, quæ principiis adhæret dogmaticis, interitum parat. Quod cum ita sit, patet, Philosophiam Criticam Deo adversari, qui vult ratione cognosci, et hominibus obstare, quorum aliis ratio est unica, omnibus pergrata, nulli superflua via Dei videndi. Male igitur rebus humanis consulunt, qui talem de Deo et immortalitate animi inferunt disquisitionem, in qua, rejecta omni quæstione, sint ne hæ ideæ objective veræ, id quod homini scitu est maxime necessarium, dubiis relinquatur et ambiguitati. Sed ut hoc concedatur simul atque probetur, videamus, quemadmodum in hoc discrimine suas copias explicent, sua signa conferant contrariæ partes.

---

24) Ea est differentia propositionum secundum Kantium. *Analytica* dicitur, in qua Prædicatum deducitur ex idea subjecti: *Synthetica*, in qua Prædicatum aliunde est sumendum, nec derivari potest ex idea subjecti.

In Theologia Naturali duplex est quæstio. Altera pertinet ad Deum, altera posita est in argumentis, quibus immortalitas animi dubiis eximitur. Primum igitur est de Deo agendum, post de animo immortali. Deum exsistere quid sit, si quæritur, observandum, eo intelligi, ideam entis perfectissimi non tantum esse aliquid, quod mente concipitur, sed etiam quod extra perceptionem nostram subsistit, ut ens, quod sua ipsius vi est et agit. Deum esse is demum demonstrat, qui probat, Deum, non subjectum aut inhærens conditioni cogitandi, esse aliquid objectivi, quod per se subsistit 25).

Argumenta, quibus exsistentia Dei a Philosophis ante Kantium probata est, his feruntur nominibus, *Ontologico*, *Cosmologico*, *Physico-Theologico*, *Anthropologico*, quibus addi potest demonstratio *ex consensu gentium*, *ex suffragiis philosophorum*, *a tuto*, *ex absurdo*, *ex opposito non probato*, *ex comparatione* 26).

Argumentum Ontologicum Anselmo scholastico debet originem, Cartesio vero recognitionem, Leibnizio et Mendelsohnio cultum politiorem acceptum referre debet 27). Forma hujus argumenti syllogistica hæc est: Si esse ens potest omnibus numeris perfectum, etiam id esse oportet. Jam vero esse potest, quia idea ejusmodi entis nihil contrarii in se continet. Igitur re vera exstat ens, de quo quæritur, h. e. propositio synthetica, quæ Deum urget, est hoc loco vera, objective vera. Quod si quæritur, unde sit

25) Quod etiam hoc modo exprimi potest. Deum esse is probat, qui argumentis evincit, ideam subjectivam entis perfectissimi esse aliquid extra mentem seu cogitationem nostram.

26) His de argumentis præcipue consului auctores sequentes. *Er. J. Almquist* Commentarius Theses Theol. Dogm. Joh. Aug. Ernesti illustrans. Ups. 1804. p. 119—125—156. — *Fr. de Ammon* Summa Theol. Christianæ. Lipsiæ 1830. p. 99—106. *Carl Gottl. Bretschneider* Handbuch der Dogmatik d. evang. Luth. Kirche. Leipzig 1828. p. 352—374. *Henr. Aug. Schott* Epitome Theol. Christianæ Dogm. Lipsiæ 1822. p. 2—4. *Ejusd.* Briefe über Religion und Christl. Offenbarungs Glauben. Jena 1826. p. 28—70. *Immanuel.* Berlin u. Stettin 1805. *Jul. Aug. Wegscheider* Institutiones Theol. Christ. Dogmaticæ. Halæ 1829. p. 216—221. *W. M. L. de Wette* Dogmatik d. evang. Luth. Kirche. Berlin 1816. p. 70—71. Ueber das Verhältniss der kritischen Philosophie. Jena 1798. Omnes et singulos, qui hanc materiam tractarunt, et quos legere mihi contigit, enumerare, vanitatis notam mihi afferret forsitan non immeritam. Allati igitur libri, cum mihi duces erunt in via proposita, me vindicabunt a maligna calumnia, me expertem esse litterarum (quales hoc tempore coluntur), Theologicarum.

27) *Anselm.* Monologium de divinitatis essentia C. 1—5. Proslogium s. de Dei exist. C. 2. "Id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo." *Renat. Cartes.* Medit. de prima Philosophia Med. 5. *Moses Mendelsohn* Morgenstunden 1, 2. Berl. 1786. *Leibnizii* Opera Theologica. Genev. 1768.

compertum, ideam entis perfectissimi sibi non esse contrariam, id inde efficitur, quia idea perfectissimi omnes negationes ergo et omnem contrarietatem excludit. Sic si de eo inquiritur, quare dici possit, id, quod est perfectum, necessaria conclusione debere esse, hæc necessitas oritur ex eo, quod exsistentia pertinet ad perfectiones et deesse non potest, ubi omnia sunt perfecta.

Vitia hujus argumenti, auctore Kantio, hæc sunt 28). Exsistentia falso dicitur esse perfectio. Est tantum mutata ratio cogitati objecti, quod eo, quod exsistit, non perfectius fit, quam cum cogitatur, sed alium tantum locum tenet, ex quo in personam cogitantis aliter agere potest. Propositio minor hujus argumenti cum falsa sit, totum argumentum ruat necesse est. Ceterum quid differat inter cogitandi & exsistendi rationem, non omittendum. In conclusione occurrit idea tantum: sed demonstrandum, quod cogitatur, quomodo id exsistere possit, ex qua potestate exsistendi exsistentia enodanda est. Jam vero nostrarum non est virium judicium ferre, an ens perfectissimum sit, tamquam objectum, possibile. Deus exsistit, est propositio synthetica. In ejusmodi vero propositionibus prædicatum numquam ex idea subjecti hauriri potest. Experientia opus est, ut in illius generis propositionibus prædicatum copuletur cum subjecto. At experientiæ in rebus extra ambitum sensuum positis nullus est locus. Theologia Naturalis desiderat realitatem objectivam: hic vero concludendi modus non excedit Logicam idearum conceptionem. Deum reperire, si cujus est, id demum est mundi contemplativi, qua vero in re analysis idearum nullius est momenti.

Argumentum *dynamico Cosmologicum*, derivatum a contingentia & mutabilitate mundi, nititur principio rationis sufficientis, & nexu, quo res profectæ caussam amplectuntur. Vestigia hujus demonstrationis in *Carneade* 29) reperiuntur. *Patribus ecclesiæ* probata quoque est hæc Dei inveniendi via 30). *Leibnizius* inclaruit studio, quo eam viam ingredientibus, opibus sui ingenii, adesse voluit 31). More syllogistico ita exprimitur hæc argumentatio: Si mundus est contingens, necesse est habeat originem necessariam. At mundus est con-

---

28) *Kant* ueber die Unmöglichkeit eines Beweises vom Daseyn Gottes aus blosser Vernunft. Norimbergæ 1791.

29) *Carneades* philosophus fuit, qui vixit ineunte sæculo secundo ante Christum natum. *Euseb.* XIII: 7, 8. *Gell.* VII: 14. *Cicer.* Ac. Quæst IV: 45. Diog. IV: 62. Tusc. Quæst. *Cicer.* III: 23. Acad. Quæst. IV: 32. *Cicer.* de Nat. Deor. I: 2. de Fato, 14.

30) Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIV. Colon. 1690. T. 1. p. 559. Joh. Damasc. de Orthodoxa fid. Lib. I. c. 3.

31) Opp. Theolog. Genev. 1768. Tom. I. p. 5.

tingens, igitur caussa ejus est necessaria. Deum vero nobis representamus tamquam caussam mundi necessariam: Igitur Deus exsistit.

Reprobata est hæc quoque philosophandi ratio, & quidem hoc modo 32). Certa sumitur Thesis: Unumquodque ens absolute necessarium est reale. Quod vero demonstrandum est, antequam valere potest. Præterea offendimur circulo in definiendo commisso, quæ culpa est cogitandi non minima. Nam si quis dixerit: ens absolute necessarium est quam maxime reale, quia, quod maxime reale est, putatur absolute necessarium esse, quid? anne dicendo redit eo, unde exorsus est. Peccatur etiam in eo, quod utuntur in hac disputatione ideis non licitis. *Necessarium & contingens* sunt ideæ Logicæ, s. formæ & categoriæ intellectus, quarum usus est in rebus judicandis, quæ ad mundum visibilem pertinent, licitus, in rebus vero, quæ sensus transscendunt, illicitus. Dubitat etiam Kantius, an principium caussalitatis congruat universitati rerum, idque ob eam caussam quod æternitatem mundi demonstrare ratio non detrectat. Huc accedit, quod mundum, ut universum, non cognoscimus, ex quo, ex sententia Kantii 33), sequeretur, non eadem valere de universo, quæ de hac mundi nobis cognita parte 34).

Argumentum, quod vocant *physico Theologicum*, novimus esse omnium vetustissimum, ad captum vulgi maxime accommodatum & summa vi præditum animum humanum commovendi. *Anaxagoras*, *Socrates* 35), *Plato* 36),

---

32) *Kant* Beweisgrund zu einer Demonstration für das Daseyn Gottes. Königsb. 1763. Kants Vermischte Skriften. Halle 1799. 2 B. p. 55. Multa ad hoc argumentum infringendum, allata sunt a *Jacobo:* Prüfung d. Mendelsohnischen Morgenstunden. Leipzig 1786.

33) Kritik der reinen Vernunft p. 202 sequ. 637 sequ. *Ejusd.* Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre p. 112 not. His in locis traditur, *Kantium* caussarum legem mundi visibilis limitibus circumscribere.

34) Quæ celeb. Ammon hoc loco contra Kantium disputat, pluribus certe erit non minus quam mihi fuit pergratum animadvertere: "Si ubique viget adspectabilis ille & externus caussarum & effectorum nexus in explicandis singulis mundi vicissitudinibus, omnino absonum esse videtur, eandem regulam vi sua rationali destitui in totius rerum universitatis caussa prima & invisibili. Series enim caussarum naturalium sine initio & fine flumini similis est sine fonte & ostio, & rationem demergit, quam regere & gubernare debet. *Ammon* Summ. Theol. christ. p. 103 cfr. *Wegscheider* l. c. p. 218.

35) *Meiners* Geschichte d. Wissenschaften I. 667. *Xenophon* Memoral. Socratis l. I. c. IV. 3.

36) Plato de Legib. L. X: 68. ed. Bip. T. IX.

Aristoteles 37), *Cicero* 38) multique, antiquiores 39) & recentiores 40), hoc argumento usi sunt, in eoque ornando non pauci operam posuerunt, studiosis Theologiæ æque gratam atque cognitam 41). Hoc modo ratiocinantes in eo versantur, ut a varietate, pulchritudine, ordine & convenientia rerum, quæ in mundo obveniunt, colligant, caussam esse tantis rebus congruam 42). Duce utuntur Teleologia, ex studiis conflata, quibus vires naturæ cognoscuntur & in suum quæque usum quomodo convertantur liquet. Ductu horum studiorum eo majori confidentia incedunt, quod præsidiis nituntur empiricis, quæ fallere nesciunt.

Sic vero secum colloquendo Physico-Theologus ad id, quod quærit, pervenit. Simul atque inveneris vestigia, quæ indicant certum quendam finem, convenit ens ponere intelligens, præditum facultatibus ita comparatis, ut id fiat, quod intenditur. At talia vestigia in mundo occurrunt. Igitur necesse est, habeat mundus ejusmodi auctorem. Res æque feliciter cedit ita ratiocinanti: Ubi omnes partes invicem mirifice cohærent & unum idemque, ad quod referuntur, propositum indicant, ibi non nisi unum eundemque auctorem rerum, certo tali consilio ordinatarum, profiteri convenit. Jam vero mundus videtur tale quid totum, in unum conspirans, constituere. Igitur ejusmodi auctori intelligenti mundus est adscribendus.

Dignitatem hujus argumenti & venustatem etsi Kantius non potest non magni facere, in eo tamen refellendo opes philosophiæ suæ hoc modo experiri eum videmus 43).

---

37) *Arist.* de mundo c. 6.

38) *Cicero* Quæst. Tusc. l. 28, 29. de Nat. Deor. II, C. 2. 38. *Cleanthis*, *Senecæ Antonini* & aliorum dicta vide apud *Pfannerum* Syst. theol. gentil c. II. §. 6 seq.

39) *Theophilus*, *Gregorius Nazianzenus*, *Gregorius Nyssenus*, *Basilius*, *Lactantius* (nosti sine dubio viros, nec ignoras, quo tempore vixerunt) passim hujus argumenti mentionem fecerunt.

40) *Chr. Wolff*, *Jerusalem*, *Bonnet*, *Reimarus*, *Platner*, *Göze*, *Sander*, *Dahlenburg*, *Sintenis*, *Walther*, *von Crell*, *Rode*, *Brandes*, *Herschell* sunt ex recentioribus, qui hoc argumentum suis in scriptis venuste & ingeniose laudarunt. Titulos librorum recitavit *Wegscheider* l. c. p. 219, 220.

41) In nomina & libros virorum de scientia cognoscendi Deum ex contemplatione naturæ optime meritorum cui vacat inquirere, locum, in quo excurrere operæ pretium erit, inveniet in Epitome Theol. Christ. Dogmat. auctore *Schott* p. 3.

42) *Schulz* Erläuterungen über Kants Kritik der reinen Vernunft. Kön. 1791.

43) De auctoritate hujus argumenti ita disserit *Kantius:* "Der Beweis verdient jeder-

Exinde, ait, oriri fides potest, non autem scientia, sive persuasio metaphysica a priori. Deinde hoc demonstrandi periculum argumenti similitudinem præ se fert, vim vero non præstat & officium, quippe quia, si probat constructorem materiæ, jam obviæ, non item valet ad confirmandum auctorem materiæ ex nihilo, ergo non ad enucleandam exsistentiam Dei. Porro de universo cum nihil certi constet; neque attinet de caussa & origine Universo conveniente certi aliquid statuere. Possumus equidem de potentia, sapientia & bonitate verba facere multa, nihil vero de infinita omnipotentia, sapientia & bonitate, eo nondum invento, in quem hæ perfectiones cadere possunt, idque eo minus, quo certius cogitari potest, viribus naturæ cuncta suum debere ortum. De caussis finalibus plures fuere, qui cum Spinoza dubitarent. Nec injuria, ait Kantius. Multa enim esse credit, quorum finis aut nullus est, aut felicitati hominum adversans 44). Ceterum aberrat hæc disputandi ratio a sibi præscripto tramite, in ea, quæ propria sunt argumenti Cosmologici & Ontologici, transiens. Quomodo vero posset id valere ad probandum Deum a priori, quod speciem, ne dicam vim argumenti a posteriori, sustinere non potuit?

Argumenti, sic dicti *Anthropologici*, hæc est ratio Syllogistica. Si nullus esset Deus, homo esset ens omni spe & fine, quem peteret, destitutum, sibique contrarium. Cum autem rebus creatis omnibus & singulis est, quod sequantur, propositum, non est, cur credamus, hominem esse solum ab hac disciplina solutum. Igitur, posito homini, ut ceteris creatis, exitu & fine, ad quem ei est perveniendum, ponatur quoque Deus necesse est. Sunt homini propensiones, sunt impetus a natura dati, qui Deum velut digito demonstrant & provocant. Excitat cupido gratias agendi hominem ad Deum, auctorem vitæ, colendum. Quam irrita invocatio, ad ideam tendentis manus, coram idea flectentis genua? Optat homo, ut, cum ductus amore veri honestique nulli parcit labori, nulla reformidat impedimenta, habeat in Deo testem, conscium probitatis, & ut integritatis suæ habeat vindicem. Quam infelix, si omnis hæc spes vana esset & irrita? Sapientia, virtus, optima quæque ingenii animique bona, totidem essent, si nullus esset Deus, cruciatus & doloris caussæ, quot sunt, cum de Deo persuasum nobis est, gaudii & tranquillæ mentis origines. Hæc omnia efficiunt, ut Deum, quo carere non possumus, quo lætari

---

zeit mit Achtung genannt zu werden. Er ist der älteste, klärste und der gemeinen Menschen Vernunft am meisten angemessene. Er belebt das Studium der Natur, sowie er selbst von diesem sein Dasein hat und dadurch immer neue Kraft bekommt. Kritik d. r. V. p. 651 seq. Cfr. *Kant* Kritik d. reinen Vernunft p. 648 seq.

44) Die Resultate der Jacobischen und Mendelsohnschen Philosophie. Leipzig 1786. p. 85—107.

avemus, ad quem cuncta referri delectat, fide amplectamur nec a nobis avelli patiamur.

Huic argumento obluctantur dicendo, id eisdem laborare vitiis, quibus premitur argumentum physico-Theologicum. Etenim fines admittit in rerum natura, de quibus valde dubitatur. Opinione præcipit auctorem finium, de quo quæritur. Deinde, si vel aliis omnibus rebus fines essent propositi, ad quos tenderent, qui non fieret, ut Homo, velut exceptio e regula, careret scopo, cui esset destinatus? Ceterum non nisi sapientibus & bonis esset offensioni, vitam hominis esse quasi irritam & nullius instituti, plurimis hominibus incuriose degentibus, nulla re motis neque cogitando ad scrupulos, neque appetendo ad Deum, neque conscientia ad reputationem. Quid? De pietatis, de grati animi sensibus, quid est quod verba faciant? Quam pauci sunt, quibus tale quid conveniat? Quam non trahi videtur humanum genus in contrarias partes, alii studio recti, alii pravis cupiditatibus? Quod vero ita est comparatum, ut omnibus non congruat, id ad fidem subjectivam valere quidem potest, stabilem & certam credendi regulam efficere non potest.

Argumentum *ex consensu gentium* derivatum, summorum virorum comprobatum plausu, hoc nititur fulcro syllogistico 45). Omnium terrarum populi si Deum profitentur, fiducia Dei indubia est. Jam vero non est populus, qui aliquod non agnoscat numen. Igitur Deus est. Quibus addi potest, hominibus esse communem, ut conscientiam recti & pravi, ita & persuasionem de Deo colendo.

Hunc aditum ad inventionem Dei qui aperuerunt aut sacrum habuerunt, iis, jam ante Kantium de gradu dejectis, novæ eo auctore difficultates objectæ sunt. Demonstratum enim est, convenientiam gentium, multis terrarum partibus adhuc ignotis, non posse colligi, nec, si colligi posset, testimonii loco teneri, idque eam ob caussam, quia erroribus etiam gentes possunt consentire. Huc accedere volunt, quod multa eorum, de quibus inter gentes convenit, esse fabularum instar a majoribus tradita, &, ut inconsulte credita, ita, accrescente artium cultura, postquam propius ponderata sunt, deposita & repudiata.

Argumentum, cui *suffragia philosophorum* nomen & vim dederunt, sententias refert orbis eruditi, ex quibus apparet, viris, non solum ingenio &

45) Cicero de legibus l. I. c. 8. Quæst. Tuscul. l. I. c. 13. Seneca ep. 117. Clemens Alex. strom. l. 5. *Eckerman* Handbuch für das systematische Studium der Glaubenslehre. Altona 1801. p. 326 seq. Eschenmayer, Religions philosophie. Tübingen 1818. p. 57 seq.